Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1401
Quelle:
Copyright:

DCXXII.

U. 94 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 140. 4. currente calamo perſcriptus, et quondam *Collegij Soc. Jeſu Viennæ* continet: I. *Petri Zach de Pulka* Theologi *Vien.* Scriptum contra *Huſſitas*, quod incipit: *Juſſit reverendiſſima veſtra paternitas et metuendiſſima dominatio* &c. Autor tacetur; conſtat vero e pluribus jam indicatis Exemplis, puta *Vol.* I. P. 1. *Cod.* CCLXX. &c.

II. *fol.* 29. ſequitur Reſponſum ad Congeriem Autoritatum pro Communione ſub utraque Specie, de qua Noſter ita praefatur: *Barones regni Bohemie ſereniſſimo principi Domino Sigiſmundo Romanorum vngarie &c. regi miſerunt quendam libellum continentem multas auctoritates, de quarum ſolucione per ſapientes, qui apud predictum principem tunc Conſtancie morabantur, cupiebant clarius informari.* Congeries illa Autoritatum eſt *Jacobelli*, ſive *Jacobi de Miſa* praecipui *Joh. Huſſii* ὑπεραστπιστὰ, et legitur in *Reb. Conſtant. Hermanni von der Hardt* T. III. P. XIX. p. 805. ubi pone etiam p. 826. Reſponſum noſtrum ſequitur, quod Autorem habet *Mauritium de Praga* Theol. Prof. et una cum *Jacobello* non jam primum refertur.

III. *fol.* 68. Actus Academicus, qui incipit: *Anno Domini 1426. die 5ta marcij per magiſtrum Johannem de Gmunden baccalaureum in theologia formatum pro tunc vicecancellarium ſtudij wyenn. in eccleſia ſancti ſtephani licentiati ſunt infra ſcripti.* Sunt numero XVIII. quorum *primus* nominari meretur *Leonhardus Huntpichler de Valle Brixinenſi* Ord. Praed. hujus enim Opuſcula *Vol.* praeced. indicata ſunt. Nomina ſequitur Oratio inauguralis ſive *Collacio* in illud II. *Reg.* c. 23. *Hauſerunt aquam.* Univerſitas *Vien.* eſt fons Sapientiae in Paradiſo, unde exeunt quatuor flumina, id eſt, totidem Facultates. Sub finem aguntur gratiae Epiſcopo *Friſingenſi*, cujus tacetur nomen, qui vero fuit *Nicodemus de Scala Veronenſ.* dein *Wilhelmo* (Thürs de Aſpern) D. *Stephani* Praepoſito et Univ. Cancellario, *Petro de Pirchenwart* Univ. Rectori, quem *Ederus* in *Catal.* uno anno prius Rectorem fecit, demum *Wenceslao* Praepoſito, *Hainrico de Kiczpichel* Decano, et Comiti *de Ortenburg* Canonico Eccl. *Paſſavienſis.*

IV. *fol.* 73. Proluſio in interpretationem Libri *Exodi*, cujus thema: *Gloria domini apparuit in nube.* C. 16. et initium: *In nomine ſanctiſſime trinitatis* &c. *Ex ordinacione eximie facultatis theologice pro primo meo curſu lecturus exodum* &c. Prolixa eſt, ſed absque die et conſule.

V. *fol.* 92. Ejusdem Proluſio in interpretationem *Epiſtolae canonicae Jacobi*, quae incipit: *Diuina fauente clemencia lecturus pro ſecundo meo curſu epiſtolam — aſſumo verba in primo meo curſu pro themate aſſumpta et exod.*